Vitria eſt inſula modica in mari
britanico ſita diſtans a britānia
maiori paruo freto interpoſito
ſepata. cuiꝰ gleba ad frumēta eſt optima
multas habēs ſiluas ⁊ nemora. multas
feras pecora ⁊ iumenta. fontes ⁊ amnes
inſulā irrigātes quo ad tempiem eſt ſa/
luberrima ⁊ in fructibꝫ vberrima dr̄ eſſe:
hec ab anglis hodie inhabitatur.

## Capit. CLXXIIII

De yſelandia

Yſelandia eſt regio vltima in eu
ropa a ſeptētrione vltra norwe
giam ſita ꝑpetuo glacie in remo
tioribus eius finibus cōdemnata protē
ditur aūt ſup litus occeani maris verſus
ſeptētrionē. vbi mare ꝑ nimio frigore cō
gelatur. ab oriente habens ſcithiā ſupio
rem. ab auſtro norwegiam. ab occiden/
te occeanū hybernicū. ab aquilone ma/
re cōgelatū. Et eſt dicta yſelandia quaſi
terra glaciei eo ꝙ ibi dicūtur eſſe mon/
tes niuei in glaciei duriciem congelati.
Ibi criſtalli inueniūtur in illa etiam re
gione ſunt albi vrſi maximi et ferociſſi/
mi qui vnguibꝫ glaciē rumpūt ⁊ forami
na multa faciūt per que in mare ſe imer
gunt et ſub glacie piſces capientes eos
extrahūt per foramina ꝑdicta ⁊ ad litus
deferentes inde viuūt. terra eſt ſterilis
quo ad fruges. exceptis paucis locis in
quoꝝ vallibꝫ vix creſcit auena. gramina
tantūmodo ⁊ arbores in locis vbi habi/
tant hoīes ꝑturit ⁊ ꝑducit. ⁊ in illis pti/
bus feras gignit ⁊ iumēta nutrit. Unde
de piſcibꝫ ⁊ venationibꝫ ⁊ carnibꝫ ꝑ ma/
iori pte populꝰ terre viuit. oues ꝑ frigo/
re ibi viuere nō pñt. ⁊ ideo incole de fe/
rarū ⁊ vrſoꝝ pellibꝫ quos venatu capiūt
cōtra frigus ſe muniūt ⁊ corpa ſua tegūt
alia veſtimenta habere non pñt niſi aliū/
de deferantur. gens multum corpulenta
robuſta et valde alba. piſcationi dedita ⁊
venationi.

## Capitulū CLXXV

De zeugia

Zeugia ſiue zeugis eſt prouincia
vbi eſt maior cartago vel minor
affrica. inter biſantium ⁊ numediam ſi/
ta. vt dicit Iſid. libro. xiiij. Hec a ſeptē
trione mari ſiculo eſt iuncta vt dicit idē
et a meridie vſqꝫ ad regionem getuloꝝ
porrecta. cuius proxima ſunt frugifera
vlteriora vero beſtijs ⁊ ſerpentibꝫ plena.
ibi onagri ⁊ fere ſilueſtres ibi mira ⁊ mō
ſtruoſa inueniūtur. vt idem dicit.

# Incipit liber XVI

De lapidibus precioſis.

De ſcriptis
proprietatibꝫ terre et
partium eius in gene
rali. reſtat adiuuante
domino aliqua hic in/
ſerere de eius ornatu
in ſpeciali. Eorum autē que ornant ter/
ram quedam ſunt ſimpliciter inanima/
ta ⁊ inſenſibilia. vt omnia metheorica ꝗ
in venis terre generātur qualia ſunt la/
pides colores ⁊ metalla. ⁊ de illis primo
per ordinem eſt agendū. Quedam vero
vegetabilia vt radices herbe et arbuſta.
Quedam autē ſenſibilia. vt homines et
iumenta. de quibꝫ vltimo eſt tractandū.
primo ergo ab his que generātur in ter/
ra ⁊ in venis eius per ordinem alphabeti
hic dicendum eſt.

## Capitulum primū

De arena

Arena ab ariditate eſt dicta que
ſi manu preſſa fuerit pre ſiccita/
te et duricia ſtridorem facit que
ſi in veſte candida et aſperſa fuerit nihil
ſordis poſt ſe relinquit. vt dicit Iſidorꝰ
libro. xvi. ca. iiij. Arena ſiquidē in aquis
marinis ab omni limoſitate ⁊ lutea vi/
ſcoſitate abluitur. vt dicit Areſto. in li.
de ꝓprietatibꝫ elementoꝝ. ⁊ ideo ꝓpter vi
centem in ea ſiccitatē coagulari in lapi/
dem ꝑfecte nō ꝑmittitur. Terra ei pura
vt dicit idē li. metħ. iiij. lapis non fit qꝛ
cōtinuationē nō facit. ſed cōmutationē
⁊ iō ſiccitas vincēs oēm hūiditatē nō ꝑ
mittit eā totalr̄ in lapidē ꝯſolidari. Jn̄ ē
ꝙ arena terra cōi ē ſubſtātialr̄ durior ſꝫ

lapide mollioꝛ ⁊ in ꝑtes innumerabiles
diuiſibilioꝛ. vñ arena frigida eſt et ſicca
minuta cōpreſſa grauiſſima in pondere
ꝗ̄uis ſit minuta ⁊ ſterilis ex ſeꝑpter calo
ris ⁊ hūoris defectū ⁊ dñiuꝫ frigide ſicci
tatis. ymbꝛe ſuꝑueniēte ñ diſſoluit̄. ſed
potiꝰ diluta aut ꝯſumpta lutea in purita
te magis ꝯpꝛimit̄ ⁊ ꝑte ꝑti fortiꝰ adherē
te ampliꝰ ſolidat̄. Arenaꝝ etiā multitu/
dine maris impetꝰ ſiſtit̄. ⁊ ad eiꝰ cumulos
ſe conſtringēs ne vltra ſibi aſſignatos a
deo t̄minos effluat impedit̄. vt di. hiero.
ſup Jere. v. c. Poſuit arenā t̄minū ma/
ri ⁊c. Habet etiā vniuerſalit̄ naturā cola
tiuā. vñ aqua ꝑ arenas colata dulcioꝛ et
purioꝛ inuenit̄. vt di. ꝯſtan. Itē virtutē
habet metalloꝝ purgatiuā ⁊ ſua ꝯfricatō
ne rubiginis ꝯſumptiuā. auꝝ ei es ⁊ fer/
rū arene ꝯfricatōe clarificant̄. Itē vtu/
tē habet infrigidatiuā. repcuſſiuā. opila
tiuā tumoꝛis ſedatiuā vtꝫ i ethimolia. i.
arena ex lapide fabꝛili reſoluta q̄ valet
ad oia ſupꝛa dicta. vt plane dicit ꝯſtan.
Itē virtutē habet mineralē vel ſaltē ei ſi
milē vel affinē vñ ⁊ inter arenulas tā flu
uiales ꝗ̄ marinas auree arene ſepiꝰ in/
ueniunt̄. Lapides etiā politi ⁊ gēme ꝑ/
cioſe i marino litoꝛe inueniūt̄ int̄ arenu
las. Itē arene tā fluuiales ꝗ̄ marine ex
ventis ꝯtrijs ipas arenulaꝝ ꝑticulas ele/
uātib ſepiꝰ in maris oſtijs ⁊ litoꝛib ꝯ/
aceruant̄ ⁊ ex arenis ſic accumulatis aq̄
fluuiales ne mare ſubintrēt aliquotiēs
retardāt̄. vt di. hier. ſup amos. viij. Ibi
defluet ſicut riuꝰ egipti ⁊c. vbi exꝑſſe dr̄ ꝙ
aquā nili ꝑpt̄ obſtātes arenarū cumulos
ꝯtingit ipediri. nā circa fluīs deſcēſuꝫ pꝛ/
ter aggregata arena aquā nili i mare de/
ſcēdere nō ꝑmittit. ſed potiꝰ refluere ꝑ
plana egipti manifeſtiſſime coartat̄. ſed
quāto illius cumulꝰ arenoſis aq̄ redire cō
pellit̄. tāto eiſdē diſſipatis cū maioꝛi ipe
tu i mare deſcēdere ꝓfundiꝰ ꝓhibet̄. vt di
cit hiero. ibidē. Itē arenaꝝ obſtaculis i
mari ſub aq̄ ſuꝑficie occultatis occurre/
re vel reſiſtere maꝛie eſt difficile ⁊ ꝑiculo
ſuꝫ vtꝫ ſupꝛa vbi d̄ maris ꝑiculꝰ ꝑtractat̄

## Capitulum ſecun/dum

De argilla

Argilla eſt terra tenax glutino/
ſa ⁊ viſcoſa ad varia figuloꝝ opa
diſpoſita atq̄ꝫ apta. Et ē ꝑm yſi
do. li. xvi. ca. i. ab argis ſic vocata apud
quos pꝛimo ex tali materia vaſa fictilia
ſunt effecta. ⁊ vt ibidē dr̄ talis terra ꝑ
actionē caloꝛis liquidioꝛes ꝑtes ꝯſumē
tis ⁊ terreſtrioꝛes ꝯſolidantis in laterē
cōmutat̄. ſepe enim ꝯtingit ꝙ talis terra
lutea vnctuoſa frigiditate aquā cōgelā/
te in lapidē cōmutat̄. Sepe enī accidit
talis trāſmutatio ſcꝫ luti vnctuoſi in la/
pidem ex caloꝛe coagulāte. Sicut enim
dicitur li. iiij. meth. Lutum vnctuoſum
aptū eſt huic trāſmutatōni ſcꝫ in lapidē
ꝑ calidi coagulationē quare vnctuoſuꝫ
eſt mediū inter viſcoſum et vapoꝛatiuū
habens humidū viſcoſum. vñ gratia va
poꝛatiui pōt a calido coagulari. gratia vi
ſcoſi nō poteſt ex toto educi ſed amplius
cōpꝛimi ⁊ ꝯſolidari ⁊ ſic in lapidē tranſ/
mutari vt ibi dicit cōmētatoꝛ. argilla ē
frigiditate ſua ſanguinis reſtrictiua. vt
dicit cōſtan. argilla ſi cū forti aceto fue/
rit diſtempata appoſita fronti ⁊ tpib ꝓ
hibet ſanguinē de narib fluentē

## Capitulum terciū

De alabaſtro

Alabaſtrum vt dicit Yſido. libro
xvi. ca. v. eſt lapis cādidus inter
tinctus varijs coloꝛibus ex quo
euangelici illius vngenti vaſculum fa/
ctum fuit. ex hoc enī cauantur vaſa vngē
taria. quia vngenta cuſtodit ꝓptime in
coꝛrupta. naſcitur autē circa thebas egi/
ptias et damaſcum ceteris candidioꝛ.
ſed pꝛobatiſſimus de india tranſpoꝛtat̄.
Hꝯ lapis a dyaſcoꝛide nicomar dicitur. et
dicit valere hunc lapidem ad victoꝛiā
obtinēdā. et dicit etiam ꝙ generat ⁊ cō/
ſeruat amiciciā.

## Capitulum quar/tum

De auro

Aurū ab aura eſt dictū vt di. Yſi
do. li. xvi. eo ꝙ repcuſſo aere plꝰ
refulget. naturale ei eſt vt metal
loꝝ ſplēdoꝛ plus fulgeat luce aliqua rep
cuſſus. Hinc ⁊ aurarij ſunt dicti quoꝛuꝫ

fulgor ſplendidos reddit. Aurū aūt ra‑dians ⁊ fulgens d̄r obriſum. eo ꝙ ſplen‑dore obradiet ac fulgore. Eſt eni coloris optimi qđ hebrei ophaz. greci vō dicūt criſon. lamina vō tenuiſſima ex qua in‑ciduntur fila aurea brathea nūcupat̄. huc uſq₃ Iſi. ca. de metallis. Et cōm areſto. aūt li. metheoꝝ parū ante finē dicit̄. ꝙ au‑rum ſicut ⁊ cetera metalla materialiter procreat̄ ex ſulphure ſubtili rubeo et de viuo argēto ſubtili ⁊ albo. plus aūt ↄcur‑rit in ei⁹ cōpoſitione de ſoliditate ſulphu‑rea ꝗ̄ de aereo aquoſo viui argēti. ⁊ idō aurū ſolidius eſt ⁊ ponderoſius ꝗ̄ argen‑tū. in cui⁹ cōpoſitione plus de argēto vi‑uo ꝗ̄ de ſulphure albo ↄcurrere cōſueuit ſicut idem dicit. Auro ergo inter metal‑la quo ad ſubſtātiam nihil ſolidi⁹ eſt aut cōpactius. ⁊ ideo in igne poſitū nō euapo‑rat. nec etiā in pondere minorat̄. vnde ī igne nō ↄſumit̄. ſed ſolū qn̄ vi caloris li‑queſcit ſiquid tūc habet ānexe impurita‑tis ⁊ ſcorie deponit̄. ꝓpter qđ ⁊ ampli⁹ de‑purat̄ ⁊ fulgidius inuenit̄. nihil eī inter metalla eſt ductilius q₂ tāte eſt ductili‑tatis ꝙ inter incudē ⁊ malleū ſine ruptō‑ne ſiue diſſolutōe ꝑtiū in bratheas. i. te‑nuiſſimas lamias dilatat̄. hoc etiā inter metalla quo ad formā ⁊ ſpēm eſt pulcri⁹ ⁊ ideo inter oēs picturabiles formas ſi‑ue ſpēs primū ⁊ ꝑcipuū locū auri obti‑net pulcritudo. vn̄ forma eſt ⁊ decor tā co‑lorū ꝗ̄ metalloꝝ. Itē nihil inter metal‑la quo ad virtutē inuenit̄ efficaci⁹ cuius virtutē deſcribit Plat̄. dicēs. Aurū ingt temꝑati⁹ eſt omni metallo ⁊ puri⁹. ⁊ idō virtutē habet cōfortatiuā ⁊ ſuperfluitatū coadunataꝝ in corpe extterſiuā. ⁊ ideo va‑let cōtra leprā ⁊ elephancie paſſionem vtiliter emēdandā. limatura aūt auri in cibo aut in potu ſiue in medicina ad ꝑſer‑uationē a lepra vel ſaltē ad ei⁹ occultatio‑nem valet q₂ ei⁹ frequēs vſus ab ea pre‑ſeruat ⁊ occultat vt dicit Auic. Itē eadē limatura cū ſucco boraginis ⁊ oſſe de cor‑de cerui valet cōtra ſincopim ⁊ cardiacā₃ paſſionē. Itē lamine auree candētes in vino extincte. vinū faciūt vtile ↄtra vi‑cia ſplenis ⁊ alias paſſiones multas vel melācolicas. Itē vſtura facta cū inſtru‑mēto aureo melior ē ꝗ̄ ex alia materia vel metallo. locū eni aduſtionis cuſtodit īmunē a fetore. Itē puluis cadimie au‑ree oculis impoſit⁹ maculas oculoꝝ cor‑rodit. Confortat aurū mēbra ꝗ̄uis eis nō incorꝑet̄ nec ea nutriat valet aūt de‑purādo ⁊ aſꝑitate ſua ſuperfluitates que mēbra ledebāt extergēdo ſicut idē dicit Plat̄. Itē aurū calefactū₃ tollit pilos a mēbro qđ inde excuſſū fuerit aut fricatū ⁊ iterū creſcere nō ꝑmittit. vt di. ↄſtan. Itē aurū ꝑcuſſum nō reſonat ſicut es vel argētū nec crepat nec findit̄ ſed poti⁹ ex‑tendit̄ et equaliter dilatat̄ niſi ei fuerit aliud metallū adulterinū mō aliquo in‑corꝑatū. nā ꝗ̄diu es vel auricalcū cū au‑ri ſubſtātia eſt ꝑmixtū ſꝑ ſub malleo ſci‑ditur ⁊ ſꝑ ad ſuſceptōnem debite forme ſub mallei ictu inobediēs inuenit̄. ⁊ idō neceſſe eſt vt omne ſuperfluū ab eo ꝑ exco‑ctionē auferat̄ vt efficiat̄ ductile. ⁊ aliqđ vas cū optata forma exinde ꝓducat̄. vt dicit greg. Qn̄ aūt lamia vel brathea au‑rea cū argētea ſubducta debet malleādo incorꝑari. neceſſe eſt a tribꝫ maxie ꝑca‑ueri. ſ. a puluere vēto ⁊ hūore. q₂ ſi aliqđ hoꝝ inter auꝝ ⁊ argētū ſe ꝑmiſcuerit ne‑quaꝗ̄ vnū cū altero ſe tenebit. ⁊ idō opꝫ vt in loco valde mūdo ⁊ qeto hec duo me‑talla adinuicē vniant̄. qn̄ aūt modo debi‑to ſic vniunt̄ inſeꝑabilis fit vnio. ita ꝙ ab inuicē nō pn̄t vlteri⁹ ſeꝑari.

## Capitulū quintū

De auricalco

Auricalcū vt dicit Iſi. eſt dictū₃. eo ꝙ cum ſit es ſiue cuprum re‑ſplendet ſuperficialiter ſicut aurū es eni greco ſermone calcū vocat̄. Auri‑calcū itaq₃ habet ⁊ duriciē eris ſiue cu‑pri. ex mixtione aūt eris ⁊ ſtanni ⁊ auri‑pigmenti ⁊ quibuſdā alijs medicamini‑bus ꝓducit̄ in igne ad colorē auri vt di‑cit Iſi. Colorē itaq₃ habet auri ⁊ ſimili‑tudinē ſed non valorē. vaſa etiā diuerſi generis artificialia ⁊ pulcra in ſui noui‑tate auri ſpēm ꝑtendētia ex auricalco ꝑ‑parāt̄. ſed paulatim a fulgore primo he‑betant̄ ⁊ qſi rubiginant̄. ⁊ ſic tā colore ꝗ̄ odore cupreo ſuā materialē originē pre

ſtatur. In iſtis vaſis cibaria ⁊ vina diu
tius reſeruata ſaporem horribilem con/
trahunt ex eris vicio ⁊ odore. collíria ta
men que oculorū ſunt medicamina í eis
vtiliter reſeruātur. ⁊ ex eris fortitudine
acuūtur. vt di. Plat.

## Capitulū ſextum

De auripigmēto

Auripigmentū eſt vena terre ſiue
genus lapidis ſciſſilis et fragilis
auri ſpeciem ꝑtendēs in colorē ⁊
vocatur alio nomine lapis arſenic⁹. Et
eſt duplex. ſ. rubeus ⁊ citrinus. ⁊ habet
ſm Dyaſ. naturā ſulphuris calefacien
di ⁊ deſiccandi. qui ſi apponatᷣ eri ipm in
album tranſmutat ⁊ omnia corpa metal
lina ꝑter aurū exurit ⁊ deuaſtat. vt dicit
Dyaſ. ſm Plat. aūt auripigmentū cali/
dum eſt ⁊ ſiccū in quarto gradu. ⁊ eſt ve
na terre. ⁊ duplex ſpēs rubeum ſcʒ ⁊ citri
nū. citrinū aūt cōpetit medicine. hʒ autē
virtutē diſſoluēdi attrahēdi ⁊ mūdificā
di. vnde valet aſmaticis ⁊ malū anhelitū
habentibꝫ ex humiditate ſi inclinato ca/
pite fum⁹ eius recipiatᷣ. Ex auripigmen
to fit pſilocraciū id eſt vngentū depila/
toriū vt pili faciliter amoueantᷣ qñ coq/
tur cū calce viua. Ualet etiā ꝯtra ſerpi/
ginē ⁊ impetiginē. ſi loc⁹ cum ſapone ⁊ au
ripigmento leniter inungatᷣ. ſed ſtatim
locus inunctus abluatᷣ. qꝛ ſi vngentū ta
le ibi diu maneret bonā carnē ſicut ⁊ ma
lam corroderet ⁊ excoriaret. naturā enī
habet inciſiuā ⁊ corroſiuā. vngues etiaʒ
deturpatos et deformes facit cadere vt
creſcant meliores. vt di. Plat.

## Capitulum ſepti/mum

De argento

Argentū a greca appellatione vt
dicit Iſi. eſt dictū. nam argiron
argentū vocant cui mirū in mo
dum accidit ꝙ cū ſit candidū impreſſum
corpori lineas nigras. vt dicit Iſi. red/
dit. In eius cōpoſitione ſunt viuū argē/
tum ⁊ ſulphur album. plus aūt eſt ibi de
aereo ⁊ aqueo ⁊ argētouiuo ꝙ̄ ſulphuris
⁊ ideo nō eſt tāti pōderis ſicut aurꝝ. vt di
cit Richard⁹ rufus. Eſt aūt argentū du/
plex ſcʒ ſimplex ⁊ cōpoſitū. ſimplex autē
eſt liquidū ⁊ vocatᷣ argentūuiuū. cōpoſi/
tum aūt argentū ſolidū. compoſitū ex ar/
gentouiuo puro ⁊ ſulphure albo nō vren
te. vt dicit Areſto.

## Capitulū octauū

De argentouiuo

Argentū aūt viuuʒ eſt ſubſtātia
aquea mixta cuʒ ſubtili terreno
forti admixtione ⁊ indiſſolubi/
li. ⁊ habet hoc ex magna ſiccitate terrea q̄
nō liqueſcit in ſuꝑficie plana. ⁊ ideo nō
adheret ſicut id qđ eſt aquoſuʒ. Eſt aūt
eius ſubſtātia alba ex claritate aq̄ ſubti/
lis ⁊ ex albedine terre bñ ſubtiliate ⁊ di/
geſte. habet etiā albedinē ex admixtōne
eris cū ꝑdictis. Habet aūt argētūuiuuʒ
hoc ſibi naturaliter ꝓpriū ꝙ nō coagulatᷣ
per ſe ſine ſulphure ſed cū ſulphure ⁊ cū
plūbi ſubſtātia ꝯgelatᷣ. Ideo đꝛ ibidē ꝙ
argentūuiuū ⁊ ſulphur ſunt elemētū. i.
materia ⁊ principiū oīm liquabiliū. ſ. me
talloꝝ. hec oīa dicuntᷣ in li. metħ. expſſe ⁊
etiā aricħ. ſic exponitᷣ. Argentū itaqꝫ vi/
uū oīm metalloꝝ đꝛ eſſe principiū. ⁊ iō
reſpectu eoꝝ ē ſimplex elemētū. De ſua
aūt virtute ⁊ natura diuerſi diuerſa po/
ſuerūt. quid aūt de hoc ſentiāt medici pa
tere pōt ꝑ hec vba. argētū inqt Plat. vi/
uū. calidū đꝛ eſſe ⁊ humidū in gradu q̄r
to. q̄uis a q̄buſdā iudicetᷣ frigidū ⁊ in eo
dē gradu. ⁊ ꝙ ſit calidū oñditᷣ ꝑ effectuʒ.
eo ꝙ diſſoluit penetrat et incidit. ſed qꝛ
actualiter ſentitᷣ multū frigidū. abuſiue
frigidū iudicatᷣ. Qꝫ aūt aliq dicūt argen
tūuiuū ex quadā vena terre ꝑ excoctōeʒ
fieri falſuʒ eē pʒ eo ꝙ ꝑ calorē ignis facil
lime i fumū extenuatᷣ. ſed a terra gignitᷣ
⁊ q̄ſi aq̄ ꝑfluēs ꝓcreatᷣ. diutiſſime etiā ī
vaſe frigido ⁊ ſolido cōſeruatᷣ. tāta autē
ipſi⁹ eſt coherētia et fortitudo ꝙ nulli rei
pōt admiſceri niſi primit⁹ extiguatᷣ. exti/
guitᷣ aūt cū ſaliua qñ cū ea fricatᷣ. ⁊ maxi
me qñ cinis ſaliue additᷣ ⁊ maxīe quādo
puluis oſſis ſepie ſociatᷣ. eſt aūt argentū
uiuū de facili in fumū euaporatiuū ⁊ reſo
lutiuū. cui⁹ fumus maxīe obeſt aſtātibꝫ
inducit eī paliſim ⁊ tremorem relaxādo
neruos ⁊ remolliēdo. ore acceptū ł auri

ſmiſſi occidit mēbra pfodiēdo. circa qḋ piculū maxime valet lac caprinū ĩ q̄nti tate maxima epotatū cū ↄtinuo motu patientis. Ad ideꝫ ſpēaliter valet deco/ctio vini cū abſinthio et yſopo. huculq; plat. Dicit aūt argentūuiuū eo ꝙ inci/dat materias in q̄s mittit. vt dic̄ Iſi. li. xvi. vbi etiā ħ ſubiūgit ħ inq̄t ē liq̄dū qꝛ pcurrit. Inuenit aūt ſpēalit ĩ fornacib; argentarijs guttaꝝ ↄcretõe. terris vel te ctis inherēs. ſepe eīm ĩ vetuſtiſſimo ſter core cloacaꝝ vel puteoꝝ limo inuenit. fit et ex minio impoſito ↄcule ferree pate na teſtea ſuppoſita. dꝫ aūt vaſculū cir/cūlitū circūdari carbonib;. ⁊ tūc argen/tūuiuū diſtillabit ſine q̄ ĩ ħ argento neq; auꝝ neq; es inaurari pōt. Tāte aūt vir tutis eſt vt ſi ſup ſextariū argētūiuī cē/tenariū ſaxū ſupponas oneri ſtatim re/ſiſtit. ſi vero auri ſcrupulū ſuppoſueris le uitatē ei⁹ ĩ ſe ſtatī rapit. Ex quo pꝫ ĩ pon dus eē ſed naturā cui cedit. Potiu datū interficit pōderis cā. Seruat aūt meli⁹ ĩ vaſis vitreis. nā ceteras materias perfo rat ⁊ corrodit. Huculq; Iſi. li. xvi. c. de metallis. Argentū ḡ eſt albū claꝝ ſonoꝝ purū ductilitatis hn̄s multū. min⁹ tn̄ q̄ꝫ auꝝ. Balſami potiſſime ↄſeruatiuū. vtu tis in iaſpide iuuatiuū. Maiorē eni vtu tē habet iaſpis in argēto q̄ꝫ in auro vt dꝛ in lapid. liquabile ⁊ in igne reſolutiuū ⁊ liquefactiuū. colorē habet igneū rubeū. infrigidatū vero iterꝫ efficitur ſolidū at/q; durū. ⁊ q̄ꝫuis groſſum ſit ⁊ materiale reſpectu auri. tn̄ poſt aurū in valore ⁊ p̄/cio obtinet inter metalla principatum. Eſt eī medicinale ⁊ multaꝝ egritudinū curatiuū. nā eius ſcoria ſiue ſpuma vul/nera ſanat atq; replet. ⁊ carnes ſupfluas in eis creſcere nō pmittit. cicatricē in/ducit ſordes corpis mūdificat. cauteriū a fetore cuſtodit. ↄfortat fluxibilia mem bra ⁊ ↄſtringit. ex ↄtactu terre rubiginē cōtrahit. ſed ex arene ⁊ ſalis cōfricatōe colorē priſtinū recipit ⁊ reſumit.

## Capitulū nonum

De adamante

Adamās eſt lapis indicus paru⁹ ⁊ indecor⁹ ferrugineū hn̄s colo/rem ⁊ ſplendorē criſtallinū nūq̄ꝫ tamen vltra magnitudinē nuclei auellane ē re/pert⁹. hic nulli cedit materie nec ferro q̄ dem nec igni. nec vnq̄ꝫ incaleſcit. vnde a grecis vis indomita appellatur. ſed cū ſit inuict⁹ ferro ignis ↄtēptor. rūpitur ſan/guine hircino calido ⁊ recēti. c⁹ fragmē/tis ſculptores in ſignādis gēmis ⁊ pforā dis vtūtur. Hic diſſidet ĩ hoc a magnete qꝛ poſit⁹ adamas iuxta ferrū nō patit il/lud attrahi a magnete ĩmo retrahit per quādā violētiā ferrū a magnete lapide ſic attractū. dꝛ hic lapis more electri ve/nena dephēdere. met⁹ varios expellere ⁊ maleficis artib; obuiare. Huculq; Iſi. li. xvi. c. de criſtallis. Hic lapis ſm̄ Dyaſ. gēma recōciliatōnis dꝛ ⁊ amoris. quia ſi mulier a viro ſuo fuerit digreſſa. p vtu tē adamātis in viri grām facili⁹ reuocat. Adhuc dicit idē ꝙ ſi ver⁹ adamas capiti dormiētis mulieris ſupponat cauti⁹ ſcire poterit marit⁹ ei⁹ an ſit caſta. nā ſi fuerit caſta dormiēdo āplecti cogit vi lapidis maritū ſuū ſi vero fuerit infidelis ab eo ſubito reſilit ⁊ velut lapidis pūtia iā īdi gna ſubito de lecto cadit. Virt⁹ etiā hui⁹ lapidis ē. vt di. Dyaſ. ꝙ cū in lacerto ſi niſtro geſtat valet ↄ hoſtes ↄ inſaniā. ri/xas ⁊ iurgia. ↄ incubos ⁊ fantaſmata. cō/tra varia ſomnia ⁊ venena.

## Capitulū decimū

De ametiſto

Ametiſtus lapis eſt indicus q̄ in ter gemmas purpureas obtinet principatū. vt dicit Iſi. Eſt aūt ameſtitus colore purpureo ⁊ violaceo p mixtus quaſi roſa nitēs ⁊ leuiter fundēs quaſdā flamulas ⁊ emittens. Iſi. Alte/rum eius genus deſcēdit ad iacinctū nō ex toto igneū ſed vini colorē habens. Et ſunt ſpecies eius quinq; Iſi. Sed vt di cit Dyaſ. purpureus nobilior eſt ⁊ alijs vtilior. nam vtus eius contra ebrietatē eſt ⁊ facit vigilem ⁊ malā repellit cogita tionem ⁊ bonū confert intellectū ⁊ ineſt ei mollicies ad ſculpendū.

## Capitulum vnde/cimum

De achate

Achates eſt gemma nigra habēs albas venas. ⁊ dicitur achates a flumine eiuſdem nominis exiſtentis in ſicilia iuxta quod eſt gēma ꝑmitus inuenta. vt dicit Iſi. modo autē in pluribꝫ regionibꝫ inuenitur. Eſt aūt quoddā genus creticū. vt dicit dyaſ. cuꝫ venis ceruleis Aliud genus eſt indicum variū cum guttis ſanguineis primū enī genus. vt Iſi. dicit creditur valere magicis artibus nam ipa tempeſtates conuertūt. ſiſtunt flumina ſicut dicūt. Idē etiam genus vtile eſt ſm Dyaſ. ad regū formas ⁊ ſimulacra monſtrāda ſomniorum. Creticū autē genus mutat pticula gratū facit ⁊ placentē ⁊ pſuaſorē ⁊ facundum ⁊ vires confert. tercium genus ſcꝫ indicum viſum fouet contra ſitim prodeſt. contra venenū valet. ⁊ accenſio eius odorifera eſt. vt dicit Dyaſ.

## Capitulū duodecimum

De alectone

Alecton archadie eſt lapis ferrei coloris ab igne nomen ſortitus. eo ꝙ ſemel accenſus nunꝙ̄ extinguatur. de quo fabricatum eſt illud mechanicū de quo gentiles capti ſacrilegio mirabātur. In quodā enī templo veneris erat factū candelabrū in quo erat lucerna ſic ardens vt nulla tempeſtate ⁊ nullo ymbre extingui poſſet. vt dicit Iſidorus li. xvi. in ca. de gēmis.

## Capitulum XIII

De abſicto

Abſictus eſt gemma nigra ponderoſa diſtincta venis rubentibus hec calefacta igni ſeptem dieb' calorem tenet. vt dicit Iſidor' ca. de nigris gemmis.

## Capitulum XIIII

De alabandina

Alabandina eſt gemma dicta ab alabanda regione aſie cuius color ſimilis eſt calcedonio ſed ratior. vt dicit Iſidor' ca. de criſtallis. Sm Dyaſ. autē alabandina eſt gemma clara ⁊ ſubrufa vt ſardius cui' virtus ē ſanguinem ꝓuocare ⁊ augmentare.

## Capitulum XV

De argirite

Argirites eſt gemma argento ſimilis habēs ſtigmata aurea. cui ſimilis eſt in colore andromaya Eſt enim lapis cuius color argenteus eſt. vt dicit Iſidorus. cui eſt forma quadrangula ſicut teſſere et fortitudo ſicut adamātis. huic putant magi nomē impoſitum ab eo ꝙ animoꝝ impetus vel iracundias creditur refrenare. vt dic̄ Iſid. ca. de gemmis aureis.

## Capitulum XVI

De aſtrione

Aſtrion eſt gemma indica criſtallo propinqua in cui' cētro luceat ſtella fulgore lune plene. ſic aūt dr̄ ab aſtris. eo ꝙ eis oppoſita fulgorem rapit Iſi. de criſtallis.

## Capitulum XVII

De allectoria

Allectoria ſiue allectorius eſt lapis qui inuenitur in ventriculis gallinaceis. criſtallo obſcuro ſimilis cuius vltima magnitudo eſt ad fabe quantitatem. hic in certamine ſm magos creditur reddere homines inſuperabiles ⁊ inuictos. vt dicitur i lapid. De hac gemma di. dyaſ. allectorius lapis excitat venerē gratū facit ⁊ conſtantē ac victorem diſcretū ⁊ oratorē amicos reformat ⁊ reprimit in ore ſitim.

## Capitulū XVIII

De aſterite

Aſterites eſt gemma candida incluſam cōtinens lucem ſicut ſtella intus ambulantem redditꝙ ſolis radios candidantes.

## Capitulum XIX

De amatide

Amatides eſt lapis vel gemma a quā ſi veſtis fuerit contacta cōtra ignem reſiſtit. et ſi igni imponatur nō ardebit. ſed ſplendore accepto

nitidior apparebit. et eſt ſimilis alumini ſciſſili. omnibus magorum maleficijs obuians et reſiſtens. vt dicit Yſidorus libro.vij.ca.x.

## Capitulum viceſimum. De bitumine

Bitumen eſt terra a gleba limoſa ⁊ viſcoſa in locis precipue paluſtribus generata. Eſt aūt ſm Iſid. li.xvi.ca.ij. qdā terra glutinoſa q̄ iuxta lacū aſphalti in iudea repitur. cuius natura eſt ardens ⁊ igni ꝯgnata. ⁊ eſt tāte tenacitatis ꝙ nec aqua nec ferro rūpitur. ſed ſolū ſanguine menſtruali. Eſt aūt vtilis ad nauiū ꝯpaginatōnē. De hoc bitumine dr in Plat. aſphalti. i. bitumē iudaicū calidū et ſiccū in tercio gradu. ⁊ eſt terra nigri coloris et ponderoſa ⁊ fetida. et eſt terra vt dicūt aliqui de ſpuma maris mortui generata et ad modū terre indurata. hꝫ aūt virtutē attrahēdi cōſolidandi et ꝯſumēdi. et multū valet ad vulnera ⁊ vlcera ꝯſolidanda ſi puluerizetur. ⁊ ſic vulneri ſupponatur. ⁊ ſi vulnꝰ fuerit multū longū ⁊ latū. Valet etiā ad paſſiones matricis ſpūalia cōprimētis. ſi ponatur ſup carbones. ⁊ fumus eius q̄ eſt fetidus ſup os ⁊ nares ꝯtrahatur. Valet inſup fleumaticꝭ ſomnolētis litargicis. q̄a fleuma de capite multum purgat. vt dicit Plat.

## Capitulum viceſimumprimū. De berillo.

Berillus eſt lapis indicus in viriditate ſimilis ſmaragdo ſed cum pallore. Politur ab indis in ſexāgulas formas vt coloris hebetudo repcuſſu angulorū excitetur. aliter aūt politus non habet fulgorē. Genera aūt eius ſūt decē vt dic Iſid. c. de viridib gemmis. vbi etiā ſtatim ſubditur. Criſoberillus ſpēs. ſ. ē berilli. cuius palida viriditas in aureū colorē reſplēdet ⁊ hunc etiā india mittit nobis. Berilli virtutes dſcribit dyaſ. dicens. Inter berillos qui magis pallet melior eſt. virtus eius ꝯtra pericula hoſtium et ꝯtra lites inuictū reddit et mitē. ingenium bonum adhibet. valet cōtra vicia epatis contra ſuſpiria ⁊ eructationes. humidos oculos ſanat. manum geſtantis exurit ſi ſolis radio opponatur. hominem magnificat ⁊ amorem cōiungit coniugalem.

## Capitulum viceſimūſecundū. De calculo

Calculus eſt lapillus terre admixtus rotundus atqꝫ duriſſimus purus ⁊ ex omni parte leniſſimꝰ atqꝫ planus. dictus autem eſt calculus eo ꝙ ſine moleſtia ſui breuitate ⁊ planicie a pedibus cōculcetur. cui contrarius eſt ſcrupulus. lapillus ſcilicet aſperrimꝰ et minutus qui ſi inter pedem ⁊ calceū inciderit valde nocet. hic et ſaxa dicuntur ſcrupea id eſt aſpera atqꝫ dura. vt dicit Iſidorus libro. xv. c. iij. ſepe autē lapillus in corpore animalis ex calidis et viſcoſis humoribus nunc in veſica nunc in renibus generatur. vt dicit Conſtan. quere ſupra libro. vij. de paſſionibus renum. ca. de calculo.

## Capitulum viceſimūtertiū. De cote

Cos eſt lapis ſic dictus eo ꝙ ferrum ad incidendum acuat cotis enim greco ſermone inciſio dicitur. vt dicit Iſidorꝰ. Et ex his alie aquarie ſunt. alie oleo indigent in acuendo ſed oleum lenem. aqua vero aciem acertimam reddit. vt dicit Iſidorꝰ libro eodem. c. iij. hoc autem cotis propriū habet ꝙ in hoc ꝙ acuendo alteri ſeruit. paulatim ſe conſumit. vt dicit Grego. puluis vero eius ab ipſius ſubſtantia reſolutus congruit medicine virtutē habet deſiccatiuam repcuſſiuā. ⁊ ſanguinis reſtrictiuam. vt dicit Conſtan.

## Capitulum viceſimūquartū. De calce

Calx eſt lapis aduſtus ex cuiꝰ admixtione cum arena et aqua fit cementū. Eſt autem calx dicta viua. vt dicit Iſidorus. quia dum ſit tactu frigida. intus tamen in occulto feruentem habet naturam vel cōtinet ignē.

Unde ⁊ perfuſa aqua ſtatim ignis erum/
pit latens. Cuius natura aliquod mirũ
habet. poſtq̃ꝫ non arſerit aquis incendi/
tur. quibus ſolet ignis extingui. oleo ve/
ro extinguitur quo ſolet ignis accendi.
Uſus eſt fabrice neceſſarius nam lapis
lapidi non poteſt herere fortius niſi cal
ce ſit coniunctus. Calcis autem que fit
ex lapide albo ⁊ duro melior ẽ ſtructuris
Ex molli vero vtilior eſt in tectis. Huc
uſq̃ꝫ Iſidorus libro. xvi. ca. iij. Calx au/
tem ſm̃ Plat. calida eſt ⁊ ſicca in quar/
to gradu. que mixta cum oleo puſtulas
et vulnera putrida iuuat ⁊ inciſiones be
ne conſolidat. carnem ſupfluam corro/
dit nec i vulnere creſcere pmittit. Calx
viua cum auripigmento ⁊ aqua ad mo/
dum pultis decocta pilos cadere facit.
quia ſuo acumine poros aperit. vt dicit
Conſtant. et Plat.

## Capitulum XXV

De cemento

Cementũ eſt calcis et arene cum
aqua tempate diunctio ⁊ mixtu
ra que ad lapides coniũgendos
⁊ parietes liniendos ⁊ dealbandos ſum
me eſt neceſſaria. In picturis ⁊ colorib
parietũ primũ ſtramentũ ⁊ precipuũ eſt
cementũ. Melius aũt adheret parieti
humefacto. ⁊ maxime ſi fuerit de plaſtro
ſiue gipſo. nam vt dicit Iſidor⁹. gipſum
calcis eſt cognatũ. Optimũ aũt omniũ
lapidum eſt de lapide ſpeculari factũ ce/
mentũ. qui lapis tranſlucet ſicut vitruꝫ
et multum ſciſſibilis in tenues cruſtas
vt dicit Iſido. ⁊ eſt idem quod plaſtruꝫ
quod i greco dicitur gipſum. ſed in teu/
tonico ſperetalonũ nũcupatur.

## Capitulum XXVI

De carbunculo

Carbunculus lapis eſt precioſiſ/
ſimus ſic dictus quia vt carbo eſt
ignitus. cuius fulgor nec nocte
vincitur. lucet enim in tenebris adeo vt
flamas ad oculos vibret. Genera eius
ſunt duodecim. ſed preſtantiores ſunt q̃
fulgent ⁊ emittunt radios ſicut ignis. vt
dicit Iſido. libro. xvi. ca. xiij. Ibidẽ ſub
ditur. Carbũcul⁹ grece antrax dr̃. gigni/
tur in libia apud trogoditas. Inter has
duodecim ſpecies p̃cellit antracites qui
ignei eſt caloris. ſed candida vena p̃cin/
ctus. cuius eſt propriuꝫ ꝙ proiectus in
ignem velut inter mortuos carbones ex
tinguitur. ſed aqua perfuſus exardeſcit.
Alia eſt ſpecies carbũculi noĩe ſcandaſi/
rus a loco indie vbi inuenit̃ ſic dictus. in
cui⁹ ſpecie velut intra lucidos ignes appa
rent quedã gutte quaſi auree. ⁊ hec gem/
ma eſt p̃cij incompabilis reſpectu aliaꝝ
Alia eſt ſpecies que ſignes appellat̃ a lu/
cernarũ fragrãtia ſic dicta. ⁊ hanc gem/
mam remiſſum carbũculũ dicũt. Et eſt
duplex. vna que vt purpura radiat. alte
ra velut coccinei coloris ſeu ruboris. hec
a ſole vel tactu digitoꝝ calefacta paleas
⁊ cartaꝝ folia ad ſe rape dicit̃ ſculpturis
reſiſtit. ſi vero aliquãdo ſculpta fuerit dũ
ſigna in cera imprimit quaſi quodã ani/
malis morſu partẽ cere ſecũ tollit. vt di
cit Iſido. ibidem. Ad ſpeciem carbũculi
reducitur balagius qui rubeus eſt ⁊ plu/
cidus. vt dicit Dyaſ. ⁊ dicitur ꝙ hec ſpe
cies carbũculi in vena ſaphiri inuenit̃. ⁊
ideo ex vicinitate ſaphiri quandam ne/
bulam ad modũ fauille circa ignem ba/
lagius contrahit que circa eius ſuperfi/
ciem ſe diffundit. ⁊ hoc patꝫ ſenſibiliter
ſi diligentius cõtempletur.

## Capitulũ. XXVII.

De criſopraſſo

Criſopraſſus eſt lapis ethiopic⁹
quem lux celat. ⁊ prodit obſcuri
tas. de nocte enim eſt igneus de
die vero aureus. vt dicit Iſid. ibidẽ. In
die enĩ quaſi euaneſcens ⁊ fulgorẽ emit
tens quaſi aurũ expalleſcit. Eſt autem
alia ſpecies criſopraſſi quã india nutrit.
hic criſopraſſus ſimilis eſt praſſio i colo
re ſiue porro. ⁊ reſpergitur quibuſdã gut
tis aureis. vt dicitur in lapid.

## Capitulũ XXVIII

De calcedonio

Calcedonius eſt lapis pallidus
et hebetem pretendens colorem
quaſi medium inter berillum et

iacincti. vt dicitur in lapidario. Naſci⸗
tur autē apud naſamos vt ferunt diui⸗
no ymbre. ⁊ inuenitur ad repcuſſum lu⸗
ne plene. vt dicit Iſi. li. xvi. Nō inueni
tur niſi tricolor. vt dicit lapiđ. Omnia
eius genera ſculpture reſiſtūt. calefact⁹
paleam attrahit Iſido. Hic lapis perfo⸗
ratus ⁊ portatus facit vincere cauſas. ⁊
valet contra illuſiones demonū ⁊ virtu⸗
tes conſeruat. vt dicit Dyaſ.

## Capitulum XXIX

De criſolito

Criſolitus eſt lapis ⁊ ethiopic⁹ ⁊
vt aurum lucens. ⁊ vt ignis ſcin
tillans mari in colore eſt ſimilis
declinans ad virorē in auro poſitus ⁊ in
ſiniſtro lacerto geſtatus dicitur terrere
demones ⁊ fugare iuuat contra timores
nocturnos. ⁊ melancoliā minuit aut de⸗
pellit ⁊ cōfortat intellectū. vt dicit dyaſ.
Criſoliti quedā ſpecies eſt criſolimphis
cuius color de die aureus. de nocte vero
igneus iudicatur. Eſt ⁊ alia ſpecies criſo
liti que dicitur criſolētus colore aureus
eius aſpectus de mane pulcrior ē. deinde
hebetatur eius color. ⁊ eſt ignis capaciſſi
mus. qui ſi iuxta ignē fuerit citius inflā
maſ. vt di. Iſi. li. xv. c. de gēmis aureis.

## Capitulum XXX

De celidonio

Celidonius lapis eſt modic⁹ ta⸗
men precioſus. Huius due ſunt
ſpecies. ſcilicet niger et rufus. de
ventre hyrūdinis extrahūtur. parui qui
dem ſunt et deformes ſed in virtutibus
non ſunt maioribꝫ impares. imo multis
alijs ſunt maiores. Valet enī rufus con
tra lunaticam paſſionem ⁊ contra inſa⸗
niam ⁊ antiquū languorē. facundū facit
et gratum et placentē. Niger vero valet
contra noxios humores ⁊ febres ⁊ iras.
⁊ lotus aqua ſanat oculos. hec omnia di
cuntur in lapidario.

## Capitulū XXXI

De criſtallo

Criſtallus lapis eſt reluces cla⸗
rus et colore aquoſus creditur ꝙ
ꝙ nix vel glacies per multorū annorum
ſpacia indurata. vnde et nomen ei greci
dederunt. gignitur in aſia ⁊ cipro. maxi⸗
me in ſeptētrionalibꝫ alpibus vbi ī eſta
te ſol feruentiſſimus inuenitur. et ideo
quia annoſa et diuturna eſt ibi glacies
ideo ſpeciē reddit hāc que criſtallus no⸗
minatur. Hic ſi fuerit oppoſitus ſolis ra
dijs adeo capit flamaꝫ vt aridis fungis
ignem pbeat. Vſus eius ad pocula deſti⸗
natur. nihil aliud opatur ꝙ̄ frigiduꝫ fa⸗
cere poteſt. hucuſqꝫ Iſido. li. xvi. c. xiij. de
criſtallo aūt dicit Dyaſ. criſtallus nō vi
frigoris tantū. ſed vi magis terreſtreita
tis in lapidē induratur. color autē illius
glaciei eſt ſimilis. hui⁹ virtus eſt contra
ſitim ⁊ ardorē qui tritus melle ⁊ potatus
lacte replet vbera. ſi ex cauſa calida lac
prius ſit amiſſum. At etiā ſumpt⁹ in po⸗
tu valet contra colicam paſſionem ⁊ vi⸗
ſcerū. ſi nō aſſit cōſtipatio. Lapis eſt lu⸗
ci puius. vnde literas ⁊ alia que in eo po
nūtur manifeſtat. Qx aūt ex aqua mate
rialiter fiat criſtallus. dicit grego. ſuper
primū Ezechiel. habet inquit aqua ex ſe
fluiditatē. ſed per frigoris vehementiam
in criſtalli cōuertitur firmitatem. vnde
in Eccliaſ. ſcribitur. Flauit ventus aqui
lo ⁊ cōgelauit criſtallū ⁊c. Et hui⁹ aſſi⸗
gnat Areſt. rationē in li. meth. ibi. lapi⸗
dea de ſubſtantijs mineralibꝫ materiali
ter ſunt aqua. vt dicit Richardus rufus
lapides mineraliū ſunt de aqua. ſed ta⸗
men quia habent de terrea ſiccitate plus
ꝙ̄ liquabilia. ideo non cōgelantur ſolo
frigore aquoſo ſed etiam terrea ſiccitate
que pmutat aquoſum terreū in vitreuꝫ
quando ſuper aquā dominaſ ⁊ vincit fri⸗
giditas ſupducta. ex quo patet ꝙ vera ē
ratio grego. ⁊ eccl. qui dicūt ꝙ ex aqua po
teſt criſtallus generari.

## Capitulū XXXII

De ceraunio

Ceraunī⁹ eſt lapis criſtallo ſimi⸗
lis ceruleo colore infect⁹ ⁊ ē apđ
germaniā. alter eſt hyſpanic⁹ ru⸗
tilās vt flāma. hi cadūt de locis tonitrui
⁊ dicūſ ꝯ vim fulguꝝ opitulari. vt di. yſi.
ibidē. Idē in lapidario vbi dr. Cū tonat

horrendū cū fulminat igne᷑ ethær. Nubibus illiſus celo cadit iſte lapillus. Qui caſte gerit hūc a fulmīe non ferieť. Nec domꝰ aut ville qbꝰ affuerit lapis ille. virtus vtriuſqꝫ ē ad ꝑlia ⁊ cāſ vincendas. ⁊ valēt ad dulces ſomnos. vt diciť ibidē.

## Capitulum triceſimūtertiū

**De corallo**

Corallus naſcitur in mari rubro et qꝫdiu tegitur aquis lignū eſt. ſed ſtatim quādo extrahitur ⁊ tāgitur aere in lapidē induratur. Sūt aūt rami eius ſub aqua candidi ⁊ molles. extracti cū retibus rubeſcūt ⁊ lapidificantur. vt dicit Iſi. c. de rubris gēmis. Et ſequitur ibidē quantū apud nos ꝓcioſa ē indica margarita. tanto ꝓcioſior ē corallus apud indos. hunc magi dicūt reſiſtere contra fulmē. Iſi. Idem diciť ī lapid᷑. Ipſius ē vt ait zoroaſtes mira poteſtas Fulmīa tiphones tempeſtateſqꝫ repellit A quocūqꝫ gerať. Eſt aūt duplex. albꝰ ⁊ rufus ⁊ nunqꝫ vltra ſemipedē longior inueniť. rufus maxime valet ꝯtra omnē fluxū ſanguinis. ꝯtra epilenciā ⁊ contra dyabolica et varia monſtra. multiplicat fructꝰ ⁊ expedit fines ⁊ pricipia negocioꝝ

## Capitulum triceſimūquartū

**De corneolo**

Corneolus lapis eſt rufus ⁊ obſcurus vtilis tamē eſt ⁊ ꝓcioſus qui in collo ſuſpenſus vel in digito portatus. In diſceptando ſurgentes mitigat iras. Sanguis ex membro ſiſtit quēcūqꝫ fluorē. Precipue talē patitur ſi femina fluxū. vt dicitur in lapid᷑.

## Capitulum triceſimūquintū

**De dyonīſio**

Dyoniſius lapis eſt niger vel fuſcus rubētibus venis ſparſus vocatur autem ita ꝙ ſi aqua mixtꝰ conteratur vinum al's nimium flagrat. et tamen quod in illo mirum eſt ebrietati reſiſtit. vt dicit Iſido. libro. xvi.

## Capitulum triceſimūſextum

**De diadoco**

Diadocos lapis eſt pallidus lucens vt berillus. ⁊ eſt aptus ad reſponſa a demonibus obtinenda. excitat enim demones ⁊ fantaſmata. ⁊ ſi defuncto quis forſan applicet illum protinus aſſeritur ſolitas amittere vires. Nam ſacer hic lapis eſt. ⁊ que mors ſternit abhorret. ſicut dicitur in lapidario.

## Capitulum triceſimūſeptimum

**De ere**

